

secundum quod homo per eas in civilibus operibus rectificatur; purgatoriae autem, secundum quod civilibus utens ad quietem contemplationis aliquis anhelat; sed dicuntur purgati animi, in quantum aliquis objecto omni exercitio civilis vitae, quieti contemplationis torum se tribuit. Et in hoc statu dicit, quod actus temperantiae est cupiditatem non jam refragare, sed penitus oblivisci; fortitudinis autem passiones ignorare, non vincere; & sic de aliis.

Ad tertium dicendum, quod quantum ad actus quos habent circa materias proprias, non remanebunt; sed secundum actus quos habent in fine adepti, qui est a passionum tumultibus quietari.

Ad quartum dicendum, quod quidam dicunt, quod vires sensibiles non manent actu in anima separata; dicunt tamen, quod manent in essentia animae sicut in radice; & similiter etiam manent habitus virtutum inferioris partis, sicut in radice, in virtutibus quae sunt in ratione, (1) & in ipsa gratia.

Ad quintum dicendum, quod istae virtutes sunt in Angelis alio modo quam in hominibus, etiam in patria: quia homines perpassi sunt huiusmodi passiones, quae per dictas virtutes refragantur, vel naturam habent ut perpeti possint; quod non est de Angelis. Unde in Angelis, & in Deo sunt sicut exemplares; in hominibus autem sicut virtutes purgati animi in patria. Tamen (2) sciendum, quod Philosophus loquitur de virtutibus acquisitis, quae perficiunt hominem in vita civitatis terrena, in qua vita non habemus cum Angelis aliquam communicationem: unde non est simile de illis virtutibus quae perficiunt (3) in vita civitatis Dei, quae constituitur ex Angelis, & hominibus.

Ad sextum dicendum, quod patientia dicitur non manere quantum ad actum quem habet circa mala tolerabilia; manet tamen habitus, & actus quem habet in quiete finis proprii.

QUÆSTIO II.

DEinde quæritur specialiter de virtutibus cardinalibus.

Primo. Quæ, & quot debent dici cardinales.

Secundo. De materiis, & objectis earum.

Tertio. De actibus.

Quarto. De subjectis.

Quinto. Quæ ipsarum sit principalior.

ARTICULUS I.

Utrum aliqua virtutes debeant dici cardinales.

1. 2. quæst. LXI. art. 1. & 3.

AD primum sic proceditur. Videtur quod nullæ virtutes debeant dici cardinales. Quia eadem virtutes quæ cardinales dicuntur, dicuntur etiam generales: unde & Tullius Lib. II. de invent. eis partes assignat. Sed virtutes sunt distinctæ ab invicem, ut dictum est. Ergo videtur quod non debeant dici cardinales.

2. Præterea. Ea quæ dividuntur ab invicem, sunt simul, secundum Philosophum; & ita unum non est principalius altero. Sed virtutes dividuntur ab invicem genus virtutis. Ergo una non est principalior altera; & ita nec una debet dici cardinalis respectu alterius.

(1) *Al. deest & in ipsa gratia.* (2) *Al. secundum Al. cas.*

3. Præterea. Virtutes dividuntur contra vitia. Sed vitia principalia non dicuntur cardinales, sed capitalia. Ergo virtutes principales debent dici capitales, & non cardinales.

4. Præterea. Si dicuntur cardinales, quia eis pervenitur ad vitam æternam, ut dicitur in littera; eadem ratione omnes virtutes sunt dicendæ cardinales, quia omnibus vitam æternam meremur.

Sed contra est quod dicitur in littera.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod morales virtutes non debeant dici cardinales, sed aliæ. Quia theologice virtutes propinquiores sunt fini, quia habent finem ultimum pro objecto. Cum ergo finis sit principium in operativis secundum Philosophum VII. Ethicor. cap. XII. virtutes theologice erunt principaliores; & ita ipsæ magis debent dici cardinales.

2. Præterea. Caritas dicitur radix virtutum, fides autem fundamentum, spes vero anchora. Sed quæ est proportio radicis ad arborem, & fundamenti ad domum, & anchoræ ad navem, eadem est proportio cardinis ad ostium. Ergo virtutes theologice possunt dici cardinales, sicut & morales.

3. Præterea. Virtutes intellectuales sunt nobiliores virtutibus moralibus: quia perficiunt in vita contemplativa, quæ est nobilior activa. Ergo virtutes intellectuales magis debent dici cardinales quam morales.

Sed contra. Una sola de cardinalibus hic enumeratis intellectualis est, scilicet prudentia, quæ moralis est aliquo modo. Ergo virtutes cardinales magis sunt in genere moralium quam intellectualium virtutum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod non debeant dici tot virtutes cardinales in hoc numero. Quia virtutes istæ sunt in tribus viribus animæ. Sed inter eas est una tantum principalis, scilicet rationalis. Ergo & inter (4) virtutes est tantum una cardinalis.

2. Præterea. Si virtutes dicuntur eadem generales, & cardinales; generales autem sunt tantum duæ, scilicet iustitia, & prudentia, ut dictum est prius; videtur etiam quod tantum sint duæ cardinales.

3. Præterea. In qualibet vi est aliquid principalissimum invenire eorum quæ ad illam vim pertinent. Si ergo vires sunt tres, in quibus sunt virtutes, videtur quod etiam tantum tres debeant esse virtutes cardinales.

4. Sed contra. Videtur quod debeant esse plures quam quatuor. Quia virtutes vitiis opponuntur. Sed vitia capitalia sunt septem. Ergo & virtutes cardinales debent esse septem.

5. Præterea. In rationali ponuntur duæ virtutes cardinales, prudentia scilicet, & iustitia. Ergo similiter in qualibet aliarum virium debent poni duæ virtutes cardinales; & ita cum vires sint tres, erunt sex cardinales virtutes.

6. Præterea. Sicut prudentia est perfectio rationis practicæ, ita & ars. Sed rationis practicæ rectitudo, & veritas consistit, ut dicitur in VI. Ethicor. cap. III. in conformitate ad appetitum rectum; quod fit per virtutes morales, ut dictum est. Ergo sicut prudentia inter virtutes morales ponitur cardinalis virtus, ita & ars mechanica poni debet.

QUÆSTIO.

quod. (3) *Al. in civili, civitatis; item in vita civili.*

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod aliæ virtutes magis debeant esse cardinales quam istæ. Quia unumquodque denominatur à principali quod est in ipso, ut dicit Philosophus in II. de Anima text. xcv. Sed vis irascibilis denominatur ab ira. Ergo cum mansuetudo sit contra iram, fortitudo autem contra timores, & audacias, quæ sunt etiam passiones irascibilis; videtur quod mansuetudo sit magis virtus cardinalis quam fortitudo.

2. Præterea. Illud quod est magnum in quolibet genere, est principalius in illo genere. Sed magnanimitas operatur magna in omnibus virtutibus, ut dicit Philosophus in IV. cap. IX. Ergo videtur quod magnanimitas sit magis cardinalis quam fortitudo, quia utraque est in irascibili.

3. Præterea. Virtus cardinalis dicitur in qua aliæ virtutes firmantur. Sed humilitas est firmamentum omnium virtutum: quia, sicut dicit Gregorius hom. VII. in Evang. qui ceteras virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem (1) in ventum portat. Ergo videtur quod humilitas præcipue esse debeat cardinalis.

4. Præterea. Pœnitentia omnes defectus ad perfectum revocat. Sed aliæ virtutes defectus singulares removeant. Ergo cum pœnitentia sit quædam virtus, ut dicit Ambrosius, videtur quod ipsa potissime debeat dici cardinalis.

5. Præterea. Magis est laudabile dare aliquid de proprio quam reddere alienum. Sed liberalitas propria largitur, iustitia autem unicuique quod suum est reddit. Ergo liberalitas magis debet esse cardinalis virtus quam iustitia.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod virtutes quatuor quæ hic enumerantur, dicuntur generales, & principales, & cardinales. Quia enim principium cujuslibet rei est potissima pars ejus, etiam plus quam dimidium, ut dicitur in I. Ethic. cap. XI. ideo illud quod est potissimum in quolibet genere, dicitur principale in genere illo. Et quia habitus pensatur ex actibus, & actus ex objectis, sive materia; ideo virtutes principales dicuntur quæ sunt circa illud quod est potissimum in materia, vel materiis virtutum; sicut potissimum in illis quæ ad concupiscibilem pertinent, sunt delectationes secundum tactum: unde temperantia, quæ est circa illas delectationes, est virtus principalis; & eutrapelia, quæ est circa delectationes quæ sunt in ludis, est virtus secundaria: sicut ars ad quam pertinet finis navis, qui est navigatio, scilicet gubernatoria, est principalis respectu illius artis quæ facit navem, quia finis est potissimum in unoquoque; & in arte quæ facit navem, est principalior illa quæ inducit formam quam quæ præstat materiam. Et quia ad illud quod est potissimum in qualibet re, ordinantur omnia quæ sunt illius rei; ideo virtutes, & artes principales movent secundum suum imperium virtutes, & artes secundarias ad actus proprios, sicut ars gubernatoria imperat ei quæ facit navem; & ex hoc dicitur architectonica respectu ejus, quasi princeps ipsius. Et quia actus moti fundantur super actione

(1) *Al. in ventrem.* (2) *Mutila sententia. Nicolai:* in quantum pluribus virtutibus adjunctis modum suum communicat, virtus autem adjuncta dicitur pars ejus, &c. (3) *Al. ut.*

moventis, ideo actus secundariæ virtutis fundantur super actione principali, sicut fundatur super cardinem motus ostii: & ideo virtus principalis dicitur esse cardinalis, & virtus secundaria dicitur adjuncta illi. Omne autem quod movetur ab aliquo, agit in virtute moventis sicut instrumentum ejus; & ideo etiam motus virtutis cardinalis participatur quodammodo in virtutibus adjunctis; & secundum hoc virtus cardinalis dicitur generalis, (2) in quantum pluribus virtutibus adjuncta; dicitur pars ejus, in quantum modum suum participat.

Ad primum igitur dicendum, quod non dicuntur generales per prædicationem, sed per quamdam participationem, ut dictum est: unde eis non assignantur species, sed partes.

Ad secundum dicendum, quod ea quæ dividunt aliquod commune univocum, sunt simul quantum ad intentionem generis, quamvis unum possit esse causa alterius quantum ad esse, sicut motus localis est causa aliorum motuum contra quos dividitur. Sed ea quæ dividunt aliquod commune analogum, se habent secundum prius, & posterius, etiam quantum ad intentionem communis quod dividitur, sicut patet de substantia, & accidente. Unde ex hoc quod una virtus dividitur alteri, non oportet quod una non sit altera principalior.

Ad tertium dicendum, quod perfectio peccatorum non est per ordinem, sed magis per aversionem à fine debito: unde motus peccatorum non assimilantur ostio, per quod intratur in domum: & ideo peccata principalia non assimilantur cardini: unde non dicuntur cardinales, sed capitalia tantum ex hoc quod important quosdam actus aliorum.

Ad quartum dicendum, quod quamvis omnes virtutes gratuitæ introducant ad regnum cælorum, ex hoc tamen non nanciscuntur nomen cardinis, sed ostii. Illæ autem virtutes quibus ad æternam vitam pervenitur, (3) & super eas aliarum virtutum motus fundantur, dicuntur proprie cardinales.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod virtutes cardinales dicuntur, ut dictum est, ad similitudinem cardinis, in quo motus ostii firmatur. De ratione autem ostii est ut per ipsum interiora domus adeantur; & ideo illud per quod non est motus in aliquid ulterius, non habet rationem ostii. Virtutes autem theologice, cum sint circa finem ultimum, non est aliquid aliud ulterius ex parte objecti in quod tendant: unde in virtutibus theologis non invenitur ratio ostii, & propter hoc non possunt dici cardinales: similiter nec in virtutibus intellectualibus, quia perficiunt in vita contemplativa, quæ non ordinatur ulterius ad alteram vitam, sed activa ad ipsam ordinatur. Unde cum virtutes morales perficiantur in vita activa, & habeant actus suos non circa finem ultimum, sed circa objectum, ex utraque parte manet in eis ratio ostii: & propter hoc cardinales virtutes inveniuntur solum in genere moralium.

Ad primum igitur dicendum, quod quamvis possint dici principales, non tamen dicuntur cardinales ratione jam dicta.

Ad secundum dicendum, quod fundamentum, anchora, & radix nominantur id in quo aliquid firmatur quantum ap suam quietem: & ideo competunt illa

nomina virtutibus quæ habent finem pro objecto, in quo est quies. Sed cardo dicit aliquid in quo alterum firmatur quantum ad motum, ut dictum est: & ideo convenit hoc nomen virtutibus quæ sunt circa ea quæ sunt ad finem, per quæ est transitus in finem. Ad tertium sicut ad primum dicendum est.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod non sunt nisi quatuor virtutes cardinales; cuius ratio est, quia cum moralium virtutum materia sint ea quæ ad appetitum pertinent, in quibus etiam ratio dirigit, prædicta materia potest dupliciter considerari. Uno modo prout habet rationem consiliabilis, & eligibilis, secundum quod ratio circa eam eam operatur; & sic est prudentia, quæ est media inter morales, & intellectuales, ut supra dictum est dist. xxiii. quæst. 1. art. 3. Alio modo secundum quod habet rationem boni appetibilis. Ad appetitum autem duo pertinent, scilicet actio, & passio. Passio autem est irascibilis, & concupiscibilis. Circa actiones ergo est iustitia; circa passiones irascibilis fortitudo; circa passiones concupiscibilis temperantia; & sic sunt quatuor virtutes cardinales.

Ad primum ergo dicendum, quod cardo est illud in quo proxime firmatur motus ostii: unde virtutem cardinalem oportet esse circa id quod est principale in singulis materiis, & non solum circa id quod est principale principium, quod ad rationem pertinet.

Ad secundum dicendum, quod iustitia, & prudentia dicuntur generales respectu omnium virtutum; temperantia autem, & fortitudo non respectu omnium, sed respectu virtutum tantum quæ eis adiunguntur: & hæc generalitas sufficit ad cardinalem virtutem; (4) præcedens autem non requiritur; quamvis iustitia, secundum quod est idem quod omnis virtus, non sit virtus cardinalis, ut dictum est. Prudentia autem non est generalis quantum ad essentiam, cum contra alias dividatur, sed quantum ad materiam, quia in omnibus moralibus dirigit.

Ad tertium dicendum, quod ratio quandoque comprehendit duas potentias, scilicet vim cognitivam, in qua est prudentia, & vim affectivam, quæ voluntas dicitur, in qua est iustitia, ut infra dicitur art. 4. quæstiunc. 3. per totam. Concupiscibilis autem, & irascibilis sunt tantum appetitivæ: ideo non est ratio similis.

Ad quartum dicendum, quod quamvis virtutes opponantur, non tamen oportet quod virtus principalis opponatur vitio principali: quia principalitas virtutis attenditur penes id quod est principale simpliciter, cum idem sit iudicium de re absolute, & secundum quod comparatur ad virtuosum, ut Philosophus dicit I. Ethicor. cap. xiiii. Sed principalitas vitii est secundum id quod magis est natum movere à rectitudine rationis: & hoc quidem in aliquibus consonat, in aliquibus autem non: unde aliquid vitium capitale opponitur cardinali virtuti, sicut luxuria, & gula temperantiæ; aliquod autem non opponitur principali, sicut ira mansuetudini.

Ad quintum dicendum, quod irascibilis, & concupiscibilis non sunt cognitivæ, sed appetitivæ tantum; & ideo in eis non potest esse duplex virtus cardinalis, sicut in ratione dictum est.

(4) Al. prudentia autem. (5) Al. concurrunt. (5) Nicolai supplendum censet, & operatio, vel actionem interiore, & exteriori, esse subintelligendum.

Ad sextum dicendum, quod appetitus dicitur rectus dupliciter. Uno modo in se, secundum quod ea quæ in appetitu sunt, ordinata sunt, & hanc rectitudinem facit virtus moralis: & quia prudentia conformat rationem practicam appetitui sic directo, ideo cum moralibus virtutibus in materia communicat, & in eadem operationem (5) concurrat, propter quod inter morales computatur. Alio modo dicitur appetitus rectus à rectitudine quæ est extra ipsum; & hoc est materialiter, in quantum scilicet tendit in aliquid rectum extra se faciendum, cuiusmodi est rectitudo quæ est in artificiatis; & sic conformat rationem appetitui recto ars mechanica, ideo non computatur inter morales virtutes.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod, sicut ex dictis patet, omnis materia moralis ad quatuor reducitur, quæ vel re, vel ratione differunt (hoc enim sufficit ad differentiam habituum, ut prius dictum est) scilicet passio concupiscibilis, passio irascibilis, actio: (6) & hæc omnia secundum quod subijciuntur rationi, sic omnia induunt rationem unius objecti, vel materiæ. Inter passiones autem concupiscibilis præcipue sunt delectationes secundum tactum, ut ex supra dictis in xxvi. dist. quæst. 1. art. 4. patet, circa quas est temperantia: & ideo in hac materia ipsa est cardinalis virtus. In passionibus autem irascibilis præcipue sunt illæ quæ sunt ex difficili, quod natum est mortem incutere: & ideo fortitudo, quæ est circa huiusmodi passiones, est in hac materia cardinalis virtus. In actionibus autem quæ sunt circa res quæ in usum vitæ veniunt, quibus ad invicem communicamus, præcipue sunt illæ actiones quibus huiusmodi res distinguuntur, quia prædicta distinctio est communicationis principium: & ideo iustitia, quæ tribuit unicuique quod suum est, est cardinalis virtus in hac materia. Inter autem ea quæ ratio circa moralia operatur, præcipuum est præceptum de agendis, ad quod consilium, & omnia huiusmodi ordinantur: & ideo prudentia quæ est præceptiva, ut in VI. Ethic. cap. xi. dicitur, est cardinalis in ista materia.

Ad primum ergo dicendum, quod non idem requiritur ad hoc quod aliqua passio sit principalis, & ad hoc quod sit materia principalis virtutis, & ad hoc quod denominet potentiam. Quia enim denominatio fit ex completo, & ultimo, & manifestiori; ideo potentia irascibilis denominatur à passione iræ, quæ est ultima aliarum passionum quæ sunt in irascibili, & composita passio, sicut supra dictum est. Sed ad hoc quod sit principalis passio, requiritur quod afficiatur appetitus secundum conditionem appetibilis moventis, ut scilicet bonum prosequatur, & malum fugiat; & ita in irascibili timor, & spes sunt principales passiones. Sed ad hoc quod sit materia principalis virtutis, requiritur quod sit passio excedens per modum intensionis alias passiones existentes in illa vi, sicut circa maximas delectationes concupiscibilis est temperantia. Magis autem intensam passionem facere natum est malum corruptivum imminens sicut sunt mortis pericula, quam bonum expectatum, vel quam vindicta desiderata de malo illato: & ideo circa audacias, & timores, quæ sunt circa huiusmodi pericula, est principalis virtus,

non

(6) Al. deest species.

non autem circa spem, vel circa iram.

Ad secundum dicendum, quod illud circa quod est principalis virtus, non solum debet esse principalis secundum intensionem, sed etiam secundum dependentiam, ut scilicet illud principale non dependeat ab aliis, sed alia quodammodo ordinentur ad ipsum; sicut delectationes tactus non dependent ab aliis delectationibus, sed magis aliæ ordinentur ad ipsas: alias enim non salvaretur ratio cardinalis virtutis. Magnum autem quod attendit magnanimitas, dependet ex aliis virtutibus, quia operatur magnum in actibus aliarum virtutum: & ideo præsupponit alias virtutes, ut Philosophus dicit in IV. Ethic. cap. viii. & propter hoc magnanimitas non potest esse cardinalis virtus.

Ad tertium dicendum, quod humilitas dicitur conservatio, & fundamentum aliarum virtutum in esse suo, in quantum remouet prohibens, scilicet superbiam, quæ bonis operibus insidiatur, ut peccant, sicut dicit Augustinus in regula, non autem propter principalitatem materiæ, ad quam aliarum virtutum materiæ, reducuntur, ut sic aliarum virtutum motus in humilitate firmentur; quod facit cardinalem virtutem. Humilitas autem habet idem pro materia quod magnanimitas, quamvis sub diversis rationibus: quia humilitas rationem parvi ex consideratione propriæ fragilitatis, (1) sed magnanimitas rationem magni ex consideratione divini auxilii, vel divini doni, vel gratuiti, vel naturalis, sicut est rationis bonum.

Ad quartum dicendum, quod dato quod penitentia sit (2) virtus, non erit cardinalis virtus, eo quod præsupponit aliarum virtutum materias, sicut & magnanimitas. Penitentia enim est dolor de peccatis. Peccatorum autem, & virtutum eadem est materia.

Ad quintum dicendum, quod liberalitas etiam præsupponit iustitiam: quia nullus posset aliquid de proprio dare, nisi aliquid suum haberet; & hoc facit iustitia: unde actus liberalitatis actum iustitiæ præsupponit: & ideo non est cardinalis virtus, sed iustitiæ annexa.

ARTICULUS II.

Utrum prudentia habeat aliquam materiam specialem.

1. 2. quæst. xlvii. art. 5.

I. AD secundum sic proceditur. Videtur quod prudentia non habeat aliquam materiam specialem. Quia quidam Philosophus dicit, quod sub prudentia comprehenduntur Physica, Dialectica, Rhetorica. (3) Sed nihil est in mundo quod ad aliquid istorum quatuor non reducatur: quia Physica est de his quæ sunt à natura, Dialectica autem est de operibus rationis, (4) Politica de civilibus operibus. Ergo prudentia non habet aliquam materiam determinatam.

2. Præterea. Secundum Philosophum in VI. Ethic. cap. iv. & vii. prudens est totaliter consiliarius: Sed consilium est etiam in his quæ ab artibus (5) mechanicis fiunt. Ergo circa omnia illa est prudentia.

3. Præterea. Dicit Philosophus in VI. Ethic. cap. vi. quod prudentia est recta ratio agibilium. Sed agi in III. Sent. Tom. III.

(1) In editis, sed magnanimitas divini auxilii, intermediis omissis. (2) Al. spiritualis. (3) Nicolai ad apte & Politica. (4) Item: Rhetorica de dispositione, vel ornatu locutionis. (5) Al. additur etiam. (6) Al. etiam circa quas specialis. (7) Al. deest species.

bilia sunt omnia quæ ad alias virtutes pertinent. Ergo non habet materiam distinctam ab aliis virtutibus.

Sed contra. Omnis virtus in cuius diffinitione ponitur materia, habet specialem, & determinatam materiam. Sed materia aliqua ponitur in diffinitione prudentiæ: quia est recta ratio agibilium. Ergo habet materiam determinatam.

Præterea. Est virtus specialis. Ergo habet objectum speciale.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod passiones non sint materia temperantiæ, & fortitudinis. Materia enim salvatur in omnibus quæ ex materia, vel circa materiam fiunt. Sed prædictæ virtutes sunt quietantes à passionibus. Ergo passiones non sunt materia earum.

2. Præterea. Illud penes quod distinguuntur virtutes, debet assignari materia virtutum: quia habitus per objecta distinguuntur. Sed virtutes prædictæ, & eis annexæ distinguuntur penes res exteriores: quia quædam sunt circa pericula mortis, quædam circa delectabilia venerea, quædam circa honores, & sic de aliis. Ergo res exteriores, & non passiones sunt earum materia.

3. Præterea. Illud quod est commune omni virtuti, non debet assignari materia alicui speciali virtuti. Sed delectatio invenitur in omnibus specialibus virtutibus: quia oportet accipere signum generati habitus fierem in opere delectationem, ex II. Ethic. cap. iii. Ergo delectatio, & aliæ passiones non sunt materia alicuius determinatæ virtutis.

Sed contra. Philosophus dicit in III. Ethic. cap. ix. xii. xiiii. vel in antiq. xiiii. xviii. & xix. quod fortitudo est circa timores, & audacias, temperantia autem circa concupiscentias. Hæc autem passiones nominant. Ergo videtur quod materia harum virtutum sint passiones.

Præterea. Illud est materia rei circa quod ponitur forma ipsius. Sed forma prædictarum virtutum est medium. Ergo cum medium ponatur in passionibus, videtur quod passiones sint materia prædictarum virtutum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod iustitia non sit circa operationes. Non enim potest esse idem materia, & actus circa materiam. Sed actus iustitiæ est quædam operatio. Ergo operationes non possunt esse materia iustitiæ.

2. Præterea. Operationes etiam exteriores ex interioribus passionibus oriuntur. Sed iustitia non dicitur esse circa passiones, sed magis aliæ virtutes. Ergo non est circa operationes.

3. Præterea. Virtus quæ circuit omnes virtutes, non habet aliquam specialem materiam. Sed iustitia est huiusmodi, ut dicitur in Glossa Gen. i. (6) etiam specialis: quia inter commutationes, circa quas est commutativa iustitia, quæ est (7) species specialis iustitiæ, ponit Philosophus in V. Ethic. cap. iv. occisionem dolo, quæ est circa materiam mansuetudinis. Ergo videtur quod iustitiæ non sit attri-

Aaa
(6) Item: Rhetorica de dispositione, vel ornatu locutionis. (7) Al. additur etiam. (6) Al. etiam circa quas specialis. (7) Al. deest species.

buenda aliqua specialis materia.

Sed contra est quod dicit Philosophus in principio V. Ethic. quod iustitia stet circa operationes.

Præterea. Ipsa est circa aliquid circa quod non est aliqua alia virtus, scilicet circa lucrum pecuniarum. Ergo habet aliquam specialem materiam.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod prudentia circa illa est de quibus est consilium, eo quod ad prudentem pertinet bene se habere circa consilia, consiliando, iudicando, & præcipiendo. Consilium autem est de contingentibus operabilibus à nobis: unde etiam circa hoc oportet prudentiam esse. Et quia prudens dicitur bene consiliativus simpliciter, oportet quod consilietur de his quæ sunt ordinata ad bonum hominis simpliciter. Hoc autem consistit in animæ perfectione, cuius ultima perfectio est debita operatio potentiarum animæ: & ideo de his in quibus bonum operantis consistit, est prudentia, & hæc agibilia dicuntur. Ea enim quæ transeunt in exteriorem materiam ad perficiendum eam, dicuntur factiones magis quam actiones, & circa eas est ars mechanica prædicta. Ergo agibilia, secundum quod sunt consiliabilia, sunt propria materia prudentiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Physica, & Dialectica (1) non continentur sub prudentia quantum ad ea de quibus sunt, sed quantum ad usum, & exercitium earum.

Ad secundum dicendum, quod operationes artis mechanicæ ordinantur ad perfectionem exterioris materiæ, & non ad perfectionem operantis, nisi per accidens, in quantum scilicet utitur eis quæ faciunt; sed hoc accidit arti: & ideo bene consilium de his, non est bene consilium simpliciter, sed ad finem aliquem: & propter hoc secundum hoc non dicitur aliquis prudens simpliciter, sed prudens in hoc.

Ad tertium dicendum, quod sicut idem secundum rem est objectum intellectus in quantum est verum, & voluntatis in quantum est bonum; ita etiam idem secundum rem diversa ratione potest esse materia prudentiæ & aliarum moralium virtutum: prudentiæ quidem in quantum est consiliabile, aliarum autem virtutum in quantum est agibile.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod sicut dictum est, materia prudentiæ est bonum operabile à nobis, pertinet ad perfectionem animæ. Operatio autem animæ recta, in qua perfectio eius consistit quantum ad vitam activam pertinet, in duobus consistit, scilicet in moderatione passionum animæ, & in usu debito exteriorum rerum. Quia ergo oportet virtutes morales haberi ad exequendum illud quod prudentia decrevit, oportet quod sint aliquæ virtutes circa utrumque prædictorum. Circa passiones ergo moderandas est temperantia, & fortitudo, & alia huiusmodi: unde propria materia temperantiæ sunt passiones circa delectabilia tactus; fortitudinis autem timores, & audacia in maximis terribilibus.

Ad primum ergo dicendum, quod virtutes non omnino extinguunt passiones, sed moderant eas: unde Philosophus dicit in II. Ethic. cap. 111. quod quidam determinat virtutes impassibilitates, & quietes, non bene autem.

Ad secundum dicendum, quod virtutes istæ non

(1) Nicolai addit & Rhetorica. (2) Al. patientia.

distinguuntur ex rebus exterioribus, nisi quatenus circa eas contingit animam diversimode passionibus affici: unde passiones sunt proxima materia, res autem exteriores sunt materia remota, in quantum sunt objecta ipsarum passionum.

Ad tertium dicendum, quod alia virtutes non sunt circa delectationes sicut circa materiam; sed magis delectatio est consequens actum virtutis.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod non solum oportet hominem moderari circa passiones interiores, sed etiam circa actiones exteriores. Sed moderatio in eis potest esse duplex. Uno modo per ordinem ad agentem, & sic eadem est ratio moderandi actiones exteriores, & interiores passiones: unde hoc pertinet ad alias virtutes quæ sunt circa passiones. Alio modo per ordinem ad alium cum quo est convivendum; & sic habet specialem rationem moderationis, & ideo requiritur specialis virtus: unde ad hoc est iustitia, & illa quæ ad iustitiam reducuntur. Propria ergo materia iustitiæ sunt operationes exteriores secundum quod ordinantur ad alterum; res autem exteriores, ut (2) pecunia, vel aliquid huiusmodi, sunt materia iustitiæ in quantum in usum veniunt; & ideo sunt materia remota.

Ad primum igitur dicendum, quod actus virtutum primi & principales sunt actus interiores. Unde si ponimus exteriores operationes materiam iustitiæ, non enim erit actus, & materia.

Ad secundum patet solutio per id quod dictum est.

Ad tertium dicendum, quod, sicut ex dictis patet, duplex est materia virtutum; scilicet remota, ut res exteriores, quæ veniunt in usum vitæ; & proxima, ut passiones, & operationes. Iustitia igitur, secundum quod specialis est virtus, ordinat materiam omnium aliarum virtutum remotam: quia illæ eadem res quæ sunt natae inferre passiones violentas, possunt assumi ut materia operationis ad alterum: tamen quædam assumuntur ut materia operationis ad alterum, quæ non multum nata sunt inferre passionem, sicut pecuniæ, & huiusmodi. Et ideo quidquid est materia exterior iustitiæ, sed non convertitur. Quantum autem ad materiam proximam iustitiæ specialis non circuit materiam aliarum virtutum, quia ad ipsam non spectat qualiter homo irascitur, dummodo non percutiat.

ARTICULUS III.

Utrum prudentia habeat actum virtutis distinctum ab aliis.

2. 2. quæst. XLVII. art. 8.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod prudentia non habeat actum distinctum ab aliis virtutibus. Quia, ut Philosophus dicit VI. Ethic. cap. xi. prudentia præceptiva est. Sed præcipere de operandis idem videtur quod electio, quæ est actus virtutis moralis, ut dicit Philosophus in VI. Ethic. cap. 111. Ergo prudentia non habet distinctum actum ab aliis virtutibus.

2. Præterea. Medium invenitur secundum rationem

nem rectam, quæ pertinet ad prudentiam. Sed attingere medium in qualibet materia est actus virtutis quæ est circa materiam illam. Ergo actus prudentiæ non distinguitur ab actu aliarum virtutum.

3. Præterea. Eiusdem est operari circa finem, & circa ea quæ sunt ad finem. Sed alia virtutes faciunt rectam electionem de propriis finibus. Ergo etiam dirigunt in huiusmodi quæ sunt ad finem. Sed hoc pertinet ad prudentiam, ut dicitur in VI. Ethic. cap. vi. Ergo prudentia non habet actum distinctum ab aliis virtutibus.

4. Præterea. Secundum Philosophum in VI. Ethic. cap. 111. finis proximus virtutis est bona operatio. Sed prudentia dirigit ad bonam operationem. Ergo dirigit ad finem virtutis. Sed hoc pertinet ad alias virtutes, ut dicit Philosophus II. Ethic. cap. v. Ergo actus prudentiæ non distinguitur ab actibus aliarum virtutum.

5. Item. Videtur quod inconvenienter ponantur in littera actus virtutum. Quia subvenire miseris est actus misericordiæ; præcavere autem insidias pertinet ad cautionem, quam quidam ponunt prudentiæ partem.

6. Item. Perferre molestias non videtur actus fortitudinis esse: tum quia aggredi difficilia videtur esse virtuosus, & ita magis ad fortitudinem pertinere: tum quia perferre non videtur dicere actum, sed magis immobilisationem: tum quia (1) perferre molestias videtur esse etiam aliarum virtutum actus, ut patientiæ, & charitatis, quæ omnia sustinet, & mansuetudinis: tum etiam quia non circa quaslibet molestias est fortitudo, ut Philosophus probat in III. Ethic. cap. xiv.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ad perfectionem virtutis moralis tria sunt necessaria. Primum est præstitutio finis; secundum autem est inclinatio ad finem præstitutum; tertium est electio eorum quæ sunt ad finem. Finis autem proximus humanæ vitæ est bonum rationis in communi: unde dicit Dionysius in IV. cap. de Div. Nomin. quod malum hominis est contra rationem esse: & ideo est intentum in omnibus virtutibus moralibus, ut passiones, & operationes ad rectitudinem rationis reducantur; rectitudo autem rationis naturalis est: unde hoc modo præstitutio finis ad naturalem rationem pertinet, & præcedit prudentiam, sicut intellectus principiorum scientiam: & ideo dicit Philosophus VI. Ethic. cap. vi. quod prudentia habet principia fines virtutum. Sed hoc bonum rationis determinatur secundum quod constituitur medium in actionibus, & passionibus per debitam commensurationem circumstantiarum, quod facit prudentia. Unde medium virtutis moralis, ut in II. Ethic. ubi sup. dicitur, est secundum rationem rectam, quæ est prudentia; & sic quodammodo prudentia præstat finem virtutibus moralibus, & eius actus in earum actibus immiscetur; sed inclinatio in finem illum pertinet ad virtutem moralem quæ consentit in bonum rationis per modum naturæ: & hæc inclinatio in finem dicitur electio, in quantum finis proximus ad finem ultimum ordinatur. Et ideo dicit Philosophus II. Ethic. quod virtus moralis facit electionem rectam. Sed discretio eorum quibus hoc bonum rationis consequi possumus & in operationibus, & in passionibus, est actus prudentiæ: unde præstitutio finis præcedit actum

In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. additur etiam. (2) Al. etiam.

prudentiæ, & virtutis moralis; sed inclinatio in finem, sive recta electio finis proximi, est actus moralis virtutis principaliter, sed prudentiæ originaliter. Unde Philosophus dicit, quod rectitudo electionis est in aliis virtutibus à prudentia, sicut rectitudo in intentione naturæ est ex sapientia divina ordinante naturam: & secundum hoc actus etiam prudentiæ immixtus est actibus aliarum virtutum. Sicut enim inclinatio naturalis est à ratione naturali, ita inclinatio virtutis moralis à prudentia; electio autem eorum quæ sunt ad finem, secundum quod electio importat præceptum rationis de his prosequendis. Sed actus prudentiæ sibi proprius est; & distinctus ab actibus aliarum virtutum.

Ad primum igitur dicendum, quod electio finis proximi pertinet ad virtutem moralem quantum ad hoc quod electio ad appetitum pertinet; sed electio eorum quæ ad illum finem ordinantur, pertinet ad prudentiam quantum ad id quod cognitio est: electio enim aliquid habet de cognitione, & aliquid de appetitu.

Ad secundum dicendum, quod eligere medium, est actus uniuscujusque virtutis in propria materia; sed præfigere medium hoc, est actus prudentiæ.

Ad tertium dicendum, quod virtutis moralis inclinatio convenit quodammodo cum inclinatione naturæ, & quodammodo differt. Convenit quidem in hoc, quia utraque inclinatio est in finem determinatum; differt autem in hoc quod in naturalibus sicut est finis determinatus, ita & ea quæ sunt ad finem; sed in virtutibus moralibus est finis determinatus, non autem vitæ ad finem, quia potest medium inveniri in diversis diversimode. Et quia naturalis inclinatio est semper uno modo, ideo inclinatio virtutis moralis non sufficit in ea quæ sunt ad finem, sed oportet quod determinetur per virtutem cognitivam, scilicet prudentiam.

Ad quartum dicendum, quod non quælibet operatio est finis moralis virtutis, sed illa qua attingitur medium, in quo est bonum rationis. Sed operationes illæ in quibus quaeruntur debita circumstantiæ, ut inveniantur medium, sunt operationes quæ sunt fines.

Ad quintum dicendum, quod Augustinus intendit ponere actus virtutum secundum quod habentur hic differenter quam in patria: & ideo ponit actus virtutum respectu mali, quod non erit in patria. Nec curat utrum sint actus principales virtutis cui assignantur, dummodo ad ipsam, vel ad aliquam virtutem ei annexam pertineant.

Ad sextum dicendum, quod perferre, secundum quod dicitur actus fortitudinis, non dicit immobilisationem, sed electionem immorandi in molestiis propter bonum virtutis sine perturbatione immoderati timoris, in quo differt ab aliis virtutibus: quia charitas facit imperturbatum contra odium; mansuetudo contra iram, patientia contra tristitiam; & hic quidem, ut Philosophus dicit in III. Ethic. cap. xi. & xii. Græco-lat. seu xviii. & xix. in antiq. est magis actus fortitudinis quam aggredi difficilia; quanto est difficilius præsentia mala non fugere, quam insurgere in mala quæ nondum afficiunt. Quamvis (2) autem fortitudo sit contra molestias mortis principaliter, tamen etiam secundario est contra omnes alias molestias: quia in omnibus foris bene se habet, ut dicit Philosophus in III. Ethic. ubi sup.